



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

8 Parte sub octava mores naturaque pugnant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

magistratus fecere non posset. Decemviros legibus scribendis creavit, qui leges ex libris Solonis in latinum sermonem translatas, XII. tabulis exposuerunt.

C. II. Nomina eorum, qui leges XII. tabularum exposuerunt.

FVerunt et autem hi, Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, Sp. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Postumius. Hi decemviri legum conscribendarum electi sunt. Leges autem redigere in libris e primus consul Pompeius instituit, sed non perseveravit obtrahentium metu. Deinde Caesar cepit id facere, sed ante interfectus est. Paulatim autem antiquae leges vetustate, atque incuria obsoleverunt, a quarum etiam nullus iam usus est, notitia tamen necessaria videtur. Novae leges a Constantino Caesare coeperunt, & reliquis succedentibus: erantque permixtae, & inordinatae. Postea Theodosius minor & Augustus ad similitudinem Gregoriani, & Herimogeniani codicem factum constitutionum a Constantini temporibus sub proprio cuiusque Imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine Theodosianum vocavit.

DISTINCTIO VIII.

Differt autem jus naturale a consuetudine, & consuetudine. Nam jus naturale omnia sunt communia omnibus, quod non solum inter eos servatum creditur, de quibus legitur g: [Multitudinis autem creditum erat eorum unum, & anima una] &c. verum etiam praecedenti tempore a Philosophis traditum invenitur. Unde apud Platonem illa civitas iustissime ordinata traditur, in qua quique proprios nescit affectus. Iure vero consuetudinis, vel constitutionis hoc meum est, illud alterius.

C. I. Jus divinum omnia sunt communia omnibus, iure vero constitutionis, hoc meum, illud alterius est.

Unde Augustinus ait tract. 8. ad c. 1. Joannis.

Quo b iure defendis villas ecclesiae i? divino, an humano? Divinum jus in scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? nonne iure humano? Nam iure divino [Domini est terra, & plenitudo eius]. Pauperes, & divites Deus de k uno limo fecit: & pauperes, & divites una terra supportat. Iure tamen humano dicitur, haec villa mea est, haec domus mea, hic servus meus est. Iura m autem humana jura Imperatorum sunt; quare? Quia ipsa jura humana per Imperatores, & reges facti Deus distribuit generi humano. Item ibidem paulo inferius. Tolle 2 jura Imperatorum, & quis audeat dicere, mea est illa villa, aut, meus est ille servus, aut, domus haec mea est? si autem, ut teneantur ista ab hominibus, regum jura fecerunt, vultis, ut reticemus leges, ut gaudeatis? Item ibidem paucis interjectis. Legantur leges, n ubi manifeste praeceperunt Imperatores, eos, o qui praeter ecclesiae catholicae communionem usurpant sibi pomem Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine ecclesiae audeant possidere. Sed quid nobis & Imperatori? Sed jam dixi, de iure humano agitur, & tamen Apostolus p voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit [Reges reveremini.] Nolite dicere, quid mihi, & regi? Quid tibi ergo, & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa q jura humana re-

a al. seditionis. b Isidorus ibidem continenter. c al. libras. d exoleverunt. orig. Ivo p. c. 170. Pann. l. 2. c. 144. e al. junior. f al. natura. g Actus. h Anselm. l. 2. c. 62. Ivo p. 3. c. 194. Pann. l. 2. c. 63. i Psal. 73. k Gen. 2. l dicitur. orig. m Iure ergo humano, iure Imperatorum: quare? orig. n Cod. l. 1. tit. 15. c. 2. & cod. Theo. l. 16. tit. 3. c. 43. 32. 34. o al. ut. p 2. Pet. 2. q ad ipsa. orig. & Ivo.

nunciasti, quibus possidentur possessiones.

1 ¶ Ecclesiae] Haec dicitur non est apud B. Augustinum. Nam ibi ait contra Donatistas, qui legibus Imperatorum villas sibi adeptas, & Ecclesiae catholicae attributas esse queruntur. Digere, cum Donatista dicerent, villas nostras tulerunt: fundos nostros tulerunt, ut eos ipse convincat, nullum jus in illis habuisse, aut habere: quibusdam praepositi addidit ista. Quo iure defendis villas? divino, &c. Et infra. q. 1. c. si quis causa. ubi Gratianus citat verbum huius capiti, ista dicitur, Ecclesiae, non habetur. Est tamen apud Anselmum, Pionem, & in Panormia locis indicatis.

2 ¶ Tolle] Quoniam glossa obstitit, ne omnia emendarentur, aut adderentur, quaeque addenda videbantur, placuit integrum apponere locum B. Augustini. Apud ipsum legitur post ver. humano, antecedenti paragraphi, haec sequuntur: Vultis legamus leges juris peritorum, & secundum ipsas agamus de villis? Si iure humano vultis possidere, recitemus leges Imperatorum: videamus, si aliquid voluerint ab haereticis possideri. Sed quis mihi est imperator? secundum jus ipsius possides terram. Aut tolle jura Imperatorum, & quis audeat dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus haec mea est? Si autem ut teneantur ista ab hominibus, jura acciperunt Regum, vultis recitemus leges, ut gaudeatis, quia vel unum hortum habeatis, & non imputetis nisi mansuetudini columbae, quia vel ibi vobis permittitur permanere; leguntur enim leges manifestae, ubi praecipere Imperatores, &c.

2 pars. ¶ Dignitate vero jus naturale similiter praevalere consuetudini, & constitutioni. Quaeque enim vel moribus recepta sunt, vel scriptis comprehensa, si naturalis iuri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt.

C. II. Adversus naturale jus nulli quidquam agere licet.

Unde Augustinus ait lib. 3. confess. c. 8.

Qua a contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum in cer se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violeat. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet iuber, et si nunquam ibi factum est, faciendum est; & si omnium, instaurandum est; & si institutum non erat, institutum est. Si enim Regi licet in civitate, cui b regnat, iuber aliquid, quod neq; ante illum quicquam, nec ipse unquam iusserat, & non contra societatem civitatis eius obtemperatur, imo contra societatem non obtemperatur, (Generale quippe pactum est societatis humanae obedire Regibus suis.) quanto magis Deo regnatori universae creaturae suae, ad ea quae iusserit, sine dubitatione se. viendum est? sicut enim in potestatibus societatis humanae major potestas minori ad obediendum praepositur, ita Deus omnibus.

¶ Caput hoc est ex epistola Nicolai, quae incipit, Epistolam Beatitudinis tuae; extatq; una cum aliis eiusdem, & aliorum Pontificum epistolam manscriptis Roma, in Bibliotheca monasterii Dominicanorum, ex qua hoc caput extractum est.

¶ Radicitus est evellenda perniciose consuetudo.

C. III. Item Nicolaus Papa Hincmaro Remensi Archiepiscopo.

Mala e consuetudo, quae non minus quam perniciose corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt praevariationes, & varix d praesumptiones eelerime non compressae pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.

a Ivo p. 4. c. 178. b al. in qua. c Ivo p. 4. c. 203. Pan. l. 2. c. 21. d al. vana. Sub persona Libera Lillo Vagenfi.

¶ Veripani





Veritati & rationi consuetudo est postponenda. C. IIII. Item Augustin. lib. 3. de baptisimo, contra Donatistas, c. 6.

Veritate manifestata cedit consuetudo veritati, plane respondeo; quis dubitet veritati manifestata de here consuetudinem cedere? Item b Nemo consuetudinem rationi, & veritati proponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

C. V. Quilibet consuetudo veritati est postponenda.

Item Gregorius 1. V. in vno, c. Aversanus Episcopus.

Quod Dominus dicit e, [Ego sum veritas & vita.] Non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et cerè (ut Beati Cypriani futamur sententia) qualibet consuetudo, quantumvis veritas, quantumvis vulgata veritati omnino est postponenda; & usus qui veritati est contrarius, abolendus.

Gregorius. In aliquot manuscriptis, & apud Ivo nem, Gregorius vii. Et in huius Pontificatu Guarmundus Aversanus Episcopus scripsit de corpore & sanguine Domini contra Berengium, qui liber extat.

Veritate revelata, consuetudinem sibi cedere oportet. C. VI. Item Augustin. lib. 3. de baptisimo contra Donatistas, cap. 3.

Qui g contempna veritate praesumit consuetudinem sequi; aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione ecclesia ejus instruitur. & infra, h. Ut Evangelio i Dominus Ego sum, inquit, veritas: non dixit, ego sum consuetudo. Itaq; veritate manifestata, cedit consuetudo veritati, & 7. Revelatione facta veritatis, cedit consuetudo i veritati: quia de Petro s, qui prius circumcidebat, cecit Paulo veritatem praedicanti. & infra. Cum Christus veritas sit, magis veritatem, quam consuetudinem sequi debemus; quia 2 consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Cedit consuetudo. Apud B. Augustinum, & Ivo nem, in in Panormia legitur, cedit error. Sed vere B. Augustinus ex ipsiusmet Zozimi verbis colligit, quod ille errorem appellabat, fuisse consuetudinem. Ita enim respondet, Noluit quidem ille dicere, consuetudinem, sed errorem. Verumtamen, eum dicit, quia & Petrus, qui prius circumcidebat, cecit Paulo veritatem praedicanti, satis indicat, quod aliud etiam de baptismo fieri solebat.

Quia consuetudinem] Verba haec usque ad finem, apud Ivo nem, & Gratianum facti commode hic adne-ctuntur, repetita ex verbis Felici, quo referuntur supra, c. veritate.

Consuetudo rationi frustra opponitur. C. VII. Item in lib. 4. de baptisimo, contra Donatistas, cap. 3.

Frustra, inquit, n quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obijciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a spiritu sancto revelatum. Hoc o plane verum est, quia ratio, & veritas consuetudini proponenda est. Sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.

a Ivo p. 4. c. 208. Panm. l. 2. c. 169. Infra eadem, qui contempna. b Ibid. cap. 8. sub persona Felici a Bualacens. c Ab. Guarmundo. d Ivo par. 4. c. 213. Panm. l. 2. c. 166. e Ioan. 1. 4. f Cyprianum in toto illo suo concilio. Sub persona Casti Sircensis. g Ivo p. 4. c. 234. h Ibid. cap. 6. sub persona Liberti Vagenst. i Ioan. 14. k sup. ea c. veritate. Ibid. cap. 7. sub persona Zozimi a Tharassa. l Galat. 2. m Ibid. cap. 9. sub persona Honorati a Thacca sup. ea veritate. n Hic refert B. Augustinus verba B. Cypriani in epist. ad Lubianum. Ivo p. 2. cap. 34. & par. 4. c. 23. o Elib. B. Augustinus respondet.

Rationem consuetudo impedire non debet. C. VIII. Item Cyprianus in epistola ad Pompejum contra epistolam Stephani.

Consuetudo, quae apud quosdam obrepserat, impedire non debet, quò minus veritas praevalcat, & vincat: Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore, sequamur veritatem, scientes, quia & apud Eisdem a veritas vicit, sicut scriptum: [Veritas manet, & invalefcit in aeternum, & verus, & obtinet in saecula saeculorum.]

Idem in epist. ad Lubianum, circa med.

Ignosci i potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus b [Qui primo, inquit, sui blasphemus, & persecutor, & iniustus: sed misericordiam merui, quia ignorans feci.] Post inspirationem verò, & revelationem factam, qui in eo quod erraverat, perseverat; prudens & sciens sine venia ignorantiae peccat: praesumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.

Ignosci. Apud B. Cyprianum legitur, ignosci enim potest, & huius antecedit ea qua leguntur supra c. frustra, usque ad ver. revelatum.

Dei veritatem, non hominum consuetudinem sequi oportet. C. IX. Item lib. 2. ep. 3. ad Caelitiam.

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed id quid, qui ante omnes est, Christus fieri fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam e prophetam Deus loquatur, & dicat. [Sine causa autem coluisti me, mandata & doctrinae horuminum docentes.]

Liquido igitur apparet, quod consuetudo naturali iuri postponatur.

DISTINCTIO IX.

Quod autem & constitutio naturali iuri cedat, multiplici auctoritate probatur.

Leges principum naturali iuri praevale non debent. PALEA. I

C. I. Aut enim Augustinus ad Bonifacium Comitem, epist. 50.

Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes: quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur savientes, & contriguntur intelligentes.

Quicumque a ergo f legibus Imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirat grande supplicium. Quicumq; verò legibus Imperatorum, quae contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirat grande praemium.

Nam & temporibus prophetarum omnes reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quae contra praeccepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt, & everterunt, super aliorum merita laudantur. Et rex g Nabuchodonosor, cum servus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, ut simulacrum adoraretur, sed ejus impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, pie, fideliterque fecerunt. Idem h tamen rex divinitus miraculo, piam & laudabilem legem pro veritate constituit, ut quicumque diceret blasphemiam in Deum i Sidrac, Misac, & Abdenago, cum domo sua penitus interiret.

Palea] In exemplaribus antiquis Gratiani, in quibus aut nullo, aut paucis sunt palea, hoc loco habentur tan-

a Esdra 3. & 4. b 1. Timoth. 1. c Anselm. lib. 9. cap. 62. d Math. 17. Hic est filius meus, &c. e Esa. 29. Math. 15. f Ivo par. 4. cap. 148. Panm. l. 2. tit. 145. g Dan. 3. h Ibid. a Deum verum] orig.